

B. A.
Disputatio Inauguralis

DE

**PACTIS CONJUGUM
SPECIALIBUS, JURE
PROBATIS ET REPROBATIS,**

^{QVAM,}
Annunte Summo Numine,
EX AUCTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTR^A ACAD^EMIA HASSO-SCHLAUMBURGICA,
PRÆSIDE,

**DN. EDUARDO FRANCISCO
GOCLENIO,**

J. U. D. Pandectarum Professore, ac h. t. Facultatis
Juridicæ DECANO,

PRO

SUMMIS in utroque JURE HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
ritè obtinendis,

*Publica Excell. Dn. Dn. PROFESSORUM ventilationi
submittit,*

JOH. CASPAR MEIER,

Colbergâ-Pom.

IN AUDITORIO JCTORUM die Jun. An. 1711.

RINTE LII, Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.



Prooemium.

Cum negotia humana multis jurgiis, multis sint exposita fallaciis, cavillationibus & technis, non minimum, quin potius maximum Jcti in eo officium consistere videtur, ut adhibita decenti cura, cum peritia legum conjuncta, hac depravati seculi molimina elidere, si non eludere studeat. Siquidem teste Cicerone, is demum Jctus nominatur, qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus est. Prudentia cavendi inquirit, consulatque, quibus modis, artibus, & formulis, atque



atque cautelis innocuis, negotia, & iuste, valide-
que, & ex re agentis gerenda, & fraudes calu-
mniaeque, atque sophisticæ cautela aduersantium
evitanda. Quod, cum in omnibus, ita cumprimis
in matrimoniali negotio, tanquam re prorsus ar-
dua, & à qua maximum felicitatis nostræ mo-
mentum dependet, observandum venit. Tres
enim præcipuas felicitatis nostræ in hac vita par-
tes esse juxta tritum istud: **wohl geböhren
werden/ wohl heyrathen/ und wohl sterben/
jam dudum evictum**, & à sanioribus comproba-
tum est. Hinc non inutile opera pretium me fa-
cturum esse arbitratus sum, si pro specimine in-
auguralis Dissertationis, specialia quadam, pa-
rtorum, inter conjuges initorum, capita tange-
rem, eaque ex geminis derivarem principis. Et
quamvis quidem quamplurimi Doctores hanc
ipsam exornarint provinciam & materiam, li-
cebit tamen mihi spicilegium aliquod superadde-
re, eaque specialius demonstrare, quæ ab aliis
sparsim, & non satis plene deducta
videntur.

I. N.



I. N. D. N. J. C.

Sectio I.

Quæst. I.



SI pro causis corporalibus non tantum, sed pro animarum quoque salute, nobis sollicita adhibenda est cura, secundum monitum Imperatoris in *Nov. 115. cap. 3.* non indecens sane erit, ut in antecessum, de iis pactis, quæ conscientiam potissimum concernunt, disquiramus, & nonnulla attingamus. Sapissime enim contingere solet, ut homines imparis religionis, matrimonium contrahere volentes, paciscantur, ut pars altera, alterius amplectatur religionem. Hinc primo loco se nobis offert quæstio: Si quis Lutheranus, Reformatus vel Pontificius, aliquam ducat, quæ diversæ religioni addicta est, hoc pacto, ut religionem suam amplectatur, an hoc pactum subsistere possit? Antequam ad hanc quæstionem respondemus, præcipuè quæstio ista præjudicialis præmittenda

A



tenda erit: Num homines diversæ religionis matrimonio jungi possint? Qui negativam sustinent sententiam, varia pro stabilienda sua sententia conquirunt & producant argumenta; dicunt enim, connubia ejusmodi. D. T. O. haud arridere, quo de conferatur *Exod. XXXIV, 16. Dent. VII, 3. Jos. XXIII, 12.* periculosa quoque ea admodum fuisse legimus *Jud. III, 6. seqq.* Memorabile eumprimis est Regis Salomonis Exemplum *1. Reg. XI, 4. seq.* Quin & Imperatores Roman. Theodosium nimirum & Arcadium, matrimonia hæc serio & publica prohibuisse sanctione, eaque ceu adulteria condemnasse, constat ex *l. 6. C. de Jud. & cælic.* Matrimonia insuper inter inæquales raro felici opratoque gaudere successu, e contrario vero felicissima ea esse, quæ inter personas genere, ætate, moribus & aliis adjunctis, quam maxime pares, contrahuntur, juxta illud Poetæ: si qua voles apte nubere, nube pari, experientia nos satis edocet. Et si hoc verum inter personas, statu & conditione diversas, multo magis hoc verum erit inter personas religione dissentientes; dividit quippe religionum diversitas, ipsum conjugii nervum, quem Apostolus *1. Corinth. VII, 4. & 5.* in eo ponit, quod neuter conjugum sui potestatem habeat, adeo, ut ne quidem sibi invicem subducere possint, nisi ad tempus, idque ex mutuo consensu, propter jejunia & preces; ubi vero quis annexus mulieris diversæ religionis, nunquam licebit cum bona ipsius gratia sacris vacare. *Arnif. de Matrim. c. 6. sect. 5. num. 20.* His & aliis rationibus (quarum cumulum congeffit *König. de Casib. Conscient. tit. de Stat. Oeconom. cas. 3. p. 85 2.*) forsitan commoti Theologi orthodoxi, uno fere ore omnes statuunt, haud fas esse diversæ religionis hominibus inire conjugium. *vid. Respons. Facultat. Theol. Rostoch. allegatum à Dedeken. consil. Theol. p. 3. sect. 10. num. 8. vol. 3. cons. p. 234. num. 3. & ex parte à Carpzov. Jurisprud. Consil. l. 2. definit. 206.* ubi inclinare in horum



horum sententiam videtur, quando hæc verba addit: ab initio & re adhuc integra non facile permittendum, inire conjugium cum infidelibus ac diversæ religionis hominibus. Verùm, quicquid hujus rei sit, rationibus hisce non obstantibus, affirmativam sententiam veriore, neque inita istiusmodi cum personis diversæ religionis matrimonia vel naturæ, vel divino jure prohibita esse, constanter asserimus. De Jure Naturæ enim sufficit sola personarum ad contractus celebrandos, finemque conjugii obtinendum, capacitas, quæ duo requisita, nullam gentem, cujuscunque etiam religionis fuerit, destituunt. De jure quidem positivo particulari, Israelitis, per allegata loca, cum certis matrimoniis gentibus, simpliciter interdicta leguntur; non quod Deus nullam religionis diversitatem inter maritum & uxorem tolerare, sed, quod populi sui prolapsus ad Idololatriam impedire voluerit; in primitiva Christianorum ecclesia itidem religionis diversitatem matrimoniis regulariter non obtinuisse, ex verbis sacræ scripturæ satis colligitur *1. Cor. VII, 15*. Hæresis enim cum matrimonii substantialibus minime pugnat. *Gerhard. de Conjug. §. 668.* multo minus ergo dissensus in quibusdam fidei articulis, matrimonio cum Pontificio vel Reformato, (cum Judæis enim & Turcis aliisque infidelibus, connubium inire leges vetant *c. cave 15. caus. 28. quest. 1. l. 6. C. de Jud. & cælicol.*) obesse potest; imprimis si persona hæretica non sit pertinax, sed spem conversionis faciat *Gerhard. c. l. §. 387. circa fin.* Hancque unicam causam, ut scilicet per hanc conversionem salus animæ promoveretur, sufficientem esse, ad matrimonium hoc permittendum, statuit *Carpzov. l. 2. def. 6. num. 24.* Et licet raro ejusmodi conjugia felici gaudeant successu, non infeliciter tamen quandoque ea cessisse, non minor testis est experientia *Stryck. ad Brunnem. Jus Eccl. l. 2. c. 17. §. 8.* Accedit, quod in Imperio R. G. (cum per pacem religiosam, de anno 1555. promulgatam, religio tam Pontificia quam Lutherana &



Reformata, sit permiffa, ita, ut ab una ad alteram liber fit transitus, absque honorum, famæque vel honoris iactura, §. Und damit folcher Friede/ *in vers.* sondern bey folcher Religion &c. friedlich und ruhig bleiben lassen.) non tantum inter privatos tacito Principum consensu, talia conjugia celebrentur, sed etiam ab ipsis Principibus & Statibus Imperii contrahantur. Adeo, ut universali consuetudine, jamdudum introducta, & diuturnitate temporis comprobata denique sint. *Conf. Thomaf. tr. von Lutherischer und Reformirter Fürsten Heyrath.* His jam præmissis, ad quæstionem supra allatam, nimirum si quis Lutheranus Reformatus vel Pontificius &c. Respondemus affirmando, quoniam ejusmodi pactum turpem causam haud continet, nec contra bonos mores, leges vel constitutiones est *l. 27. 28. ff. de Pact.* Mutationem religionis autem inter res licitas relatam esse, per LL. publicas, per Pacem nimirum religiosam, paulo ante vidimus; quidni etiam pactum religionis mutandæ causa iniri inter conjuges possit, cum hoc pactum turpibus accenseri minime queat. Pactum quippe, nomen honesti aut turpis exinde sortitur, prout res, cujus præstationem in se completitur, honesta vel turpis, h. e. legibus prohibita vel permiffa est. *Dn. Ludovici in Dissert. de Condit. Sponsi. impos. sibil. §. 34.*

Quæst. II.

Ex dictis resultat quæstio: Si vero altera pars, paciscens de religione mutanda, nolit pacto satisfacere, prætendens forte, se æstu amoris adactum hoc promississe, an tum à Judice ad pactum adimplendum compelli possit? *¶. Licet regulariter promiffa sint servanda, grave quoque ad-*



admodum sit fidem fallere; & ex pactis, præsertim moribus
 hodignis ita obligemur, ut etiam actio ad implementum
 contra fallentem institui possit. *Hahn. ad Wesenbec. tit. de*
Paët. num. 9. in fin. attamen cum nihil sit, quod difficilius
 homo mutet, quam ea, quæ religionis sunt, *Chrysost. in 1. Cor. II.*
siquidem, sec. Philon. religio cuique sua videatur optima, ut
 quæ plerumque non ratione, sed affectu dijudicatur; facilius-
 que quis alia sibi consueta exuet, quantumvis illis affixus sit,
 quam ea, quæ dogmatû sunt. *vid. Origen.* Quanta hæc sit culpa
 (ait *Gratius infr. c. l. 9. 50.*) pendet ex modo illuminationis, &
 aliis animi dispositionibus, quas hominibus pernoscere non
 est datum. *Conf. Dannhauer. Theol. Consc. p. 1. sect. 1. a. 3. 9. 32.*
 Præterea assensus, qui fidei pars, sit actus à voluntate elicitus,
 ut bene dixit Lutherus, liberum quiddam esse credere, imo
 quiddam divinum in spiritu, externa igitur vi cogi nec posse
 nec debere *Tom. 2. Fenezf. fol. 180.* Et sicuti nihil tam vo-
 luntarium quam religio, in qua si animus averfus est jam
 sublata, jam nulla est; *Lactantius l. 5. c. 4.* ita quoque nihil
 magis absurdum, quam fidem in anima quæ spiritus est,
 cogere velle. *vid. plur. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 47. 48.*
 Accedit & hoc, quod impossibile præceptum Judicis nullius
 sit momenti, *l. 3. ff. quæ sent. sine appell.* Impossibile verò est,
 credere debere, quod credere quis non valet, tota enim
 religionis vis in suadendo, hortando & monendo, non co-
 gendo consistit. *Reinking. d. R. S. & E. l. 3. class. 1. c. 6. num. 9.*
 Ubi Exempla; & Salvatori nostro, novæ legis auctori omnino
 hoc placuisse, ut ad legem suam recipiendam nemo hujus
 vitæ pœnis, aut earum metu pertraheretur, ex *Rom. VIII,*
15. Joh VI, 67. Luc. IX, 54. Matth XIII, 24. patet, quo etiam
 referenda verba Pacis religiosæ, und soll die streitige Religion
 nicht anders als durch Ehrliche / freundliche / friedliche Mittel
 und Wege zu einhelligem Christlichen Verstand und Verglei-
 chung gebracht werden. Tantum itaque abest, ut talis pars
 externâ vi cogenda, ut potius benevolentia, tolerantia &c.
 Exem-

Exemplo Gamalielis *Affor. V, 39.* ad veram religionem amplectendam adducenda.

Quæst. III.

Non minoris momenti quæstio est illa, an ob implemmentum istiusmodi pacti non secutum sponsalia dissolvi possint? *z.* Distinguunt quidem Doctores inter sponsalia de futuro & præsentis; atque priora, si hoc pacto inita, ut religionem suam derelinquat alter, & ad alterius transgressum faciat, supplemento non secuto rescindi posse asserunt; Ex sponsalibus enim de futuro non tam firmiter obligantur contrahentes, quin poenitere queant, *Schneidevv. ad tit. Instit. de Nupt. rubr. de Spons. num. 11. nec tractatus* de matrimoniò ita ligant, quin re adhuc integrâ nondum subsecutis sponsalibus de præsentis, tractantes à negotio desistere valeant. Præterea ejusmodi tractatus consensum purum & absolutum nullatenus inferunt, ex quo solo tamen contrahentes firmiter obligantur. *l. 2. ff. de Rit. Nupt.* Posteriora autem dissolvi non posse autumant, quoniam sponsalia de præsentis verum dicuntur matrimonium, & sponsus sponsave de præsentis sub voce Conjugum comprehenduntur tam Jure Divino *Deut. XXII, 23. 24. Math. IV, 20.* quam humano, *l. 56. in f. pr. Cod. de Episc. & Cler. C. Agathosa 21. C. desponsata 27. Caus. 27. qu. 2. C. Conjuges 5. caus. 27. quæst. 2. C. Sicut ex literis 22. C. Si inter virum 31. X. de Spons. & Matr.* Addunt tamen, nisi insignis dolus intercesserit, qui removisset consensum, quo casu deceptò subveniri, & sponsalia rescindi possent, imprimis si infelix metuendum esset matrimonium. Quoniam vero sententia hæc ex erronea Pontificiorum hypothesi, quasi matrimonium sit sacramentum, & sponsalia de præsentis ipsam matrimonium, fluit, cum sponsalia saltem spem,

nuptiarum



nuptiæ autem ipsam rem involvant *l. 1. ff. de R. N. l. 6. ff. de Spons. l. 13. §. 3. ad L. J. de Adult. & quæ infinitæ adhuc inter desponsatas & conjugatas personas intercedunt differentiæ, de quibus vid. Pagenst. ad Lauterb. Sicil. Manip. 1. p. 68. ita sponsalia hæc de præsentī ob fidem violatam & cessantem causam, ob quam inita fuere, dissolvi posse, putamus. Neque enim in hoc pacto ulla deprehenditur turpitudō. Aliud autem dicendum venit, si matrimonium actu consummatum fuerit. Sunt quidem Pontificii admodum faciles hæc in re, aded, ut propter hæresin, contracti etiam matrimonii, separationem admittant *Fillinc. Oper. Moral. tr. 10. cap. 4. num. 395.* sed applausum hæctenus propterea apud Nostrates nondum invenerunt, *Stryck. ad Brunnemann. J. E. cit. loc.* Est enim matrimonium indissolubile vinculum, individuam vitæ consuetudinem continens, §. 1. *J. de Patr. por.* & obligatio inde dependens, non solo hominum consensu, sed ipsius Dei cumprimis voluntate & instinctu, intelligitur contracta; quam, si perfecta sit, nemo mortalium nisi ex causis Jure Divinõ permisis, tollere potest, *c. 5. X. de Eo qui cogn. confang. uxor. add. 1. Corinth. VII, 4. seqq. arg. C. decrevit 14. de Heret. in 6to Wissenb. de Causis Matr. p. 45.* Et dicta ita vera sunt, ut nec matrimonium dirimi possit, licet recepta consuetudo obstet, idque nullum declaret, vel si Magistratus ex recepta consuetudine in id non consenserit *Carpzov. d. l. & imputet sibi pars altera, quod ad consummationem matrimonii processerit.* Limitantur tamen supra dicta, quod videlicet matrimonium solvi possit eo casu, quod alter Conjugum à fide Christianâ descisceret, & religionem Turcicam vel Judaicam amplecteretur, *per C. Judai 22. quæst. 1. Bachov. vol. 2. disp. 6. th. 1. lit. c.**

Quæst. IV.

Quæstiones præcedentes excipit sequens, non minus ardua: An pactum, quo Conjuges inter se
pa-



paciscuntur, ut filii Patris, filia vero Matris Religionem sequantur, validum sit? *Carp-zovius in Jurisprud. Const. lib. 2. tit. 1. def. 6.* in concessione matrimonii inter personas, Lutheranae & Pontificiae Religionis additas, cautelam quidem suppeditat, ut Conjuges conveniant, de liberis procreatis in vera Lutheranâ Religione educandis, praestitâ desuper cautione. Verum, quid si altera pars ita pacisci nollet, perseverans in proposito suo, ut filii patris, filia vero matris Religionem sequantur? *R.* distinguendo: aut quis credit, religionem suâ Conjugis in fundamento salutis falsam, & hæreticam esse, an vero heterodoxiam illam non tollere fundamentum salutis opinetur. Illo casu pro turpi habendum, nec obligatorium est; Hoc vero casu dubio procul obligat, & subsistere potest *Stryck. in Not. ad Brunneumann. 7. Eccl. lib. 2. cap. 17. §. 8. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 72. num. 6.*

Quæst. V.

Restat adhuc quæstio ventilanda: An Conjuges pacisci possint, ne à Ministro Ecclesiæ (fortitan ex ratione Status) copulentur? Responderi posset affirmando, cum Hierologia, sive copula sacerdotalis, non constituat matrimonium, nec essentiale requisitum sit; Jure quoque Civili eam esse incognitam, *arg. l. 30. de R. l.* atque demum à Leone Philosophò introductam fuisse constat ex *Nov. L. 74. & 89.* sequeretur etiam, quod inter Gentiles & Turcas matrimonia non subsistant, quod tamen longe paradoxum foret, cum Jus hoc cuivis homini ob instinctus & motus naturales indultum. Sic in Belgio licitum est iis, qui Reformatae Religionis consortes non sunt, absque benedictione Sacerdotali consummare matrimonium, modo coram Secretario & testibus in loco publico con-



consensum matrimonialem declaraverint. Quo facto pacta nuptialia consiciuntur, nec de validitate matrimonii amplius dubitatur. Hinc nonnulli volunt, posse quandoque ex ratione status benedictionem sacerdotalem omitti, eamque in rem adducunt *Auctorem der Lebens-Beschreibung der Könige in Frankreich*, necnon versionem Germanicam vitæ Henrici IV, ubi refertur: Regem, cum ipsius soror Catharina Reformatae Religioni addicta, desponsata Henrico Duci Barrensi, Lotharingæ Ducis Filio, ei, nisi à Reformato Ministro jungi nollet, Dux vero citra injuriam Religionis suæ, scilicet Catholicæ extra Ecclesiam suam id fieri posse, negaret, prehensa manu sororis, eam in præsentia aulicorum, citra omnem solennitatem, Duci tradidisse in matrimonium &c. Sed Auctorem cit. in translatione graviter errasse ex *Prefixe dans l'histoire du Roi Henry le grand p. 275.* videre est. Verum, licet hierologia de matrimonii substantia non sit, sed solum inventum Pontificum Romanorum, quippe ab *Evaristo* Pontifice in ordine IV., vel ut alii volunt, à *Concordio Sotere, Rom. Episcopo, Platina & Ciaconius* in ejus vita, & quidem circa annum 181. referente *Cluverio* in *Epir. hist.* sub Marco Antonino Philosopho pag. 286. introducta. Nihilominus tamen, cum Jure Canon. (quo hodie in plerisque causis matrimonialibus utimur) adeo videatur necessaria, ut absque ea non contrahatur legitimum matrimonium; insuper solennitas legalis moribus hodiernis illa sit, & omnino necessaria, cujus omisio in locis, ubi recepta, matrimonium reddit illegitimum, uti testatur Responsum Consistorii *Electoral. de anno 1616. d. 24 Martii, alleg. à Mullero in Diss. de Hierologia Sect. 1. thes. 3.* Ob nun wohl M. Z. mit euerer Tochter etliche Zabelang als Eheleute sich begangen / dafür ein ander gehalten / auch Kinder miteinander gezeuget; dieweil aber gleichwohl eurem Bericht nach / er weder mit Deselben getrauet / noch Hochzeit jemahls gehalten / und gleichwohl / allein durch die Priesterliche Einsegnung / die Ehe vollenzogen wird /

B

und



und ohne derselben keine eheliche Beywohnung vor eine rechtmässige Ehe zu halten. So kan dabero noch zur Zeit euer Ehemann vor keinen ehrlichen Ehemann, noch eure Tochter vor sein Ehemelb geachtet und genennet werden. Hinc pactum illud tanquam contra Leges, præsertim in terris nostris, nullam vim habere, nulliusque momenti esse, rectius concludimus.

Sectio II.

Quæst. I.

Perlustratis & examinatis pactis, quæ conscientias concernunt, transgredimur ad ea, quæ conjuges, conjugii- que effectus quosdam afficiunt. Sit igitur Quæstio; **An in pactis dotalibus marit⁹ se adstringere possit, quod non velit discedere de loco uxoris?**

*A*ffirmari potest per ea quæ tradit *Carpz. l. 2. tit. 10. def. 179. n. 9.* comoratio enim in loco peregrino, valde difficilis, sententiam suam confirmans præjudicio; pro cuius sententia quoque stat *Panormit. in c. 1. X. qui matrim. accus. poss.* Ubi tamen addit limitationes, nisi oriatur nova causa, propter quam maritus cogitur decedere, v. g. ob inimicitias capitales, in quas eo in loco incidit, vel quia istius loci aërem ferre non potest, quibus casibus uxor maritum sequi tenetur, nec pœna, si quæ pacto adjecta, à marito debetur. Sed: Negat rectius *Theodoricus in Dissert. de Banni qualitatibus & substantia, th. 67.* illudque pactum, contra bonos mores & reverentiam conjugalem initum, rejicit; *arg. l. exigere 65. ff. de Judic. l. Titio 71. §. Titio 2. de Condit. & demonstr.* cui assentitur *Benst. tr. de matrim. c. 32. vers. sunt tamen.* *Covarruv. in Epitom Sponsal. p. 2. cap. 7. num. 5.* & *Dannbauer. Theol. Conscient. p. 2. sect. 2. dial. 3. art. 5. quest. 43.* Ubi; pactum præcedens conditiona-

tum est inutile: potest accidere casus fortuitus, qui fugam
 & vagationem facit necessariam, seu ex capitis periculo, seu
 alenda familiae, foris, quam domi commodius studio, etiam
 in castra, usque etiam ex delicto exulem, atque patriam pro-
 scriptum, sequendi. Quibus calculum adscribit *B. Lutherus*
in lib. de Caus. matrim. tom. 5. Jenens. Wie wann der Mann
 oder das Weib gestäupet oder des Landes verwiesen würde/ soll
 denn der andere auch mit/ oder bleiben/ und sich verändern?
 32. Solchen Unfall solten sie mit einander tragen/ und nicht dar-
 um von einander scheiden/ add. rat. dann gleichwie sie ein Leib
 sind worden/ so müssen sie auch gleich ein Leib bleiben/ es komme
 Ehre oder Schande/ Gut oder Armuth. *Heig. p. 2. q. 14. num. 8.*

Quaest. II.

Dicta ansam dant, materiam hanc ulterius perquirendi,
 hinc formatur Quaestio: An pactum, quo conjux
 conjugem, propter delictum bannitum,
 sequi non vult, subsistere possit? 32. Videtur
 dicendum quod sic, quoniam pacto hoc alterius conjugis
 prospicitur existimationi & famae, quae alias cum vita pari
 passu ambulant. Sicuti vero de vita sua quisque pro lubitu
 disponere nequit, cum nemo Dominus membrorum suo-
 rum, multo minus vitae suae sit *l. 13. ff. ad L. Aquil.* ita quo-
 que famam & existimationem suam pacto laedere non valet
 contra legem *15. ff. de Condit. & demonstr.* Et licet conjux
 alia fortunae incommoda simul ferre teneatur, attamen,
 quoniam odiosa restringenda, societas conjugalitatis eo extendi
 non debet, ut conjux innocens, infamiae partem capiat,
 (delicta quippe tenere suos auctores debent, *l. 22. C. de Pen.*
l. 26. ff. de Pen.) atque patriam, quae imprimis imbecilli sexui
 dulce solum est, derelinquat. Præterea maritus per deli-
 ctum indignum se reddit societate civili, sicque per conse-
 quen-

quantiam societate conjugali, ut hinc nullo beneficio dignus
 beneficia enim in malè meritos non cadunt, *arg. l. 37. de Minor.*
25. ann. l. fin. C. de Revoc. don. & frustra quis invocat leges,
 qui agit contra leges, cum male meritus, ut exemplo aliis ad
 deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debeat *l. 31.*
Depos.; neque ullam commiserationem meretur quoniam
 horum saltem misereri oportet, qui propter fortunam, non
 propter malitiam miseri sunt. *Arist. lib. 1. Rhet.* ut taceamus,
 quod bannitus pro mortuo & excommunicato habeatur, *l. 1.*
J. ult. ff. de bon. poss. contr. tabb. l. 2. ff. de Publ. jud. Verum,
 licet durum admodum videatur, ut conjux innocens banni-
 tum sequatur, ut hinc *Dd.* nonnulli existimant, admonitio-
 nibus quidem inducendam esse uxorem, ut sequatur banni-
 tum, non verò eandem esse compellendam, *Heig. part. 2. q.*
14. num. 26. conf. Richter. p. 1. decis. 9. num. 8. Negativa tamen
 prævalet, & deciditur hæc quæstio expressè in Jure Canonico
c. 2. X. de Divorc. quæ decisio Juri Divino admodum conformis
 est *Matth. V. 19. Matth. XVIII.* Allegari hic quoque
 possunt supra allegata verba Lutheri; *H. Pistor. 4. obs. 148.*
Surdus de aliment. t. 7. q. 26. num. 6. Perez. ad C. de Nupt. n. 17.
 & pro hac sententia Theologorum quorundam consensum
 adducit *Carpzov. Pr. Cr. q. 130. num. 45. Beza tr. de Divorc. p. 230.*
Dannhauer. c. l. ubi: dura alioquin & violenta est hujusmodi
 servitus in uxore innocua, sed inter cruces referenda. Sunt
 tamen hæc ita intelligenda, si maritus relegatus, aut in ban-
 num conjectus, certum rursus domicilium constituerit. (nam
 vagabundum maritum uxor sequi non tenetur, nisi ante ma-
 trimonium fuerit talis, & sponsa hoc sciverit, *Lauterbach. in*
Compend. p. 445.) Cum enim conjuges dicantur quasi uno jugo
 juncti, & utriusque fortunæ socii sint, quippe nihil tam
 humanum, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel
 uxorem viri, participem esse *l. 22. §. 7. ff. solutio matr.* Optimè
 sanè facit conjux, ut (exemplo Theogenæ Agathoclis Regis,
 Syracusanorum uxoris, quæ cum marito suo non tantum
fa-



faventis, sed etiam adversi fati societatem inivisse dixit; *Rittershus.* ad pr. J. de Nupr. ut & Christiani II. Regis Daniæ Conjugis, quæ nullis persuasionibus abstrahi poruit, quin Regem exulem comitaretur, dicentis: ibi Regnum meum, ubi Rex meus est) maritum bannitum sequatur; nam cum libera mulier maneat, nihil prohibet, & virum mariti affectionem, & mulierem uxoris animum retinere, l. 5. ff. de Bon damn. l. 22. §. 7. ff. Solut. Matr. Limitantur tamen dicta, nisi bannicus quis sit ob crimen perduellionis, homicidii aut veneficii, per l. 8. C. de Repud. ob hæc enim crimina gentes quoque, qui sapientiæ laude claruerunt, ejusmodi personas detestabiles & hominum consortio indignos judicarunt. Ut hinc sponsa vel uxor nullo pacto adduci possit, ut in talis delinquentis complexum, cum primis, si toto pectore ab homicida abhorreret, veniat. *vid. Carpzov. Pr. Cr. 7. 130. num. 46.* ubi adhuc alia temperamenta addit, & denique quoad homicidium sublimitat, nisi fuerit homicidium casuale vel culposum; cum ea, quæ ex improvise casu potius quam fraude accidunt, fato perumque non noxæ imputentur l. 1. Cod. ad L. Corn. de Sic.

Quæst. III.

Cum sæpe quoque contingere soleat, ut Sponsus ante matrimonii consummationem, ob unum vel alterum negotium, in exteris provinciis expediendum, vel ob assequendam prudentiam politicam, iter adhuc suscipere velit, hinc quaeritur, Quid statuendum de pacto, quo de sponsati conveniunt, ut, si Sponsus, qui iter suscipere vult, intra breve temporis spatium, (puta 6 mensium vel anni,) non redeat, sponsæ licitum sit, cum alio contrahere nuptias? *de Jure Civ. si determinatum tempus additum non*



non sit, biennium sponsa expectare tenetur, modo sponsus in eadem provincia sit, l. 2. C. de Spons. Sin extra provinciam triennium l. 2. C. de Repud. vid. paulo lat. Schneidew. ad tit. f. de Nupt. Jure Can. alia Sponsalia conceduntur, non attento temporis spatio, si maturioris reditus nulla spes sit. c. 5. X. de Spons. quod tamen de Sponsalibus de futuro intelligit Sanchez l. 1. disp. 54. num. 6. Nobis placet Distinctio Stryckii ad Brunnem. Jus Eccl. l. 2. c. 16. §. 9. An terminus utrique parti placuerit, finiendæ obligationis ergo; an vero sola Sponsa, Sponso abituro hanc legem dixerit, se ultra terminum expectare ipsum nolle. Hoc casu liberatur quidem Sponsa; si tamen consummationem matrimonii revertente sponso, non obstante temporis lapsu, petere vellet, audienda erit, cum non finiendæ obligationi hic terminus dictus, sed ad sollicitandum tantum præfinitus, quo ed citius redeat sponsus; illo casu solvuntur sponsalia, modo per alterum non iterit, quo minus ad statutum terminum rediret, atque matrimonium consummaret c. sicut 22. X. de Spons. Sanchez de Matrim. l. 1. Disp. 53. num. 2. seq.

Quæst. IV.

Progredimur ad pactum Morganaticum, visuri An pactum, ne uxor aut liberi, ex matrimonio nati, quicquam de dignitate mariti & parentis participant, sed ut certis ipsis provisione alimentaria assignatis bonis contenti, à reliqua hereditate abstineant, validum sit? Pactum hoc, vocatur aliàs quoque, Pactum Morgengabicum, & Matrimonium hoc pacto contractum, dicitur Matrimonium ad Morganaticam vel Morgengabicam Servu. S. F. E. c. 9. ib. §. num. 9. à voce Morgengabe. Germ. Vera mählung zur sicken Hand. Ad denotandum forsan inæqualem con-

conjugum dignitatem. Fundamentum & Originem ducit
 ex Jure Feud. 2. F. 29. Myler. de Gamol. Princ. c. 6. Lyack differr.
 de Matrim. Lege Sal. contr. c. 2. num. 18. Grotius vero in tr. de
 J. B. & P. l. 2. c. 7. num. 8. à nuptiis Abrahami, post obitum
 Saræ cum Cethura contractis, derivat, sed refellitur ab *Osi-
 andro in not. ad eund.* Alii ex Jure Gentium, quidam ex Jure
 Civili hoc derivant. Possè autem ejusmodi Matrimonia
 Principes, aliasque personas illustres contrahere, satis abun-
 deque constat. Sic in familia Austr. Exemplum extat Ferdi-
 nandi Imperatoris, hujus nominis I. filii, fratris Maximiliani
 II. Imp., qui cum Philippina Anton. Welferii, Patricii Au-
 gustani filia, circa ann. 1537. tale matrimonium contraxit.
 Alterum Friderici I. victoriosi, Palatinatus Electoratus Ad-
 ministratoris, virginem nobilem Claram à Tettingen, sibi
 tali matrimonio jungentis. Tertium in Brunswicensi familia
 occurrit Exemplum, Augusti Wilhelmi, Ducis Brunswigo-
 Luneb. filii tertio geniti, Secretarii cujusdam filiam, sociam
 thalami morganatici, sumentis. Inter novissima, extat illud
 Rudolphi Augusti, Ducis Brunswigo-Guelpherbitani, qui
 defuncta conjuge: 681. fœminam ignobilem duxit, ipsique
 (quod singulare est, quanquam non de essentia hujus ma-
 trimonii sit, ut manus sinistra detur) in copulæ Sacerdotalis
 actu, manum dextram porrexit, dicens: se nolle concubi-
 nam, sed legitimam uxorem. Aliud, in Sereniss. Electore
 Heidelb. Carolo Ludovico, qui cum Madame Degenfeldia
 tale matrimonium contraxit. An vero privatis quoque &
 plebejæ sortis hominibus, ejusmodi matrimonium contrahe-
 re licitum sit? inquirendum erit. Moribus nostris dubita-
 tur, licet de Jure Feud. res clara sit *cit. text. 2. F. 29.* Aff. qui-
 dem *Schvveder. in Dissert. de Matrimon. ad Morganat. ib. 12.*
 hactenus tamen utrobique exemplorum copia ad introdu-
 cendam ac probandam consuetudinem necessaria deficit,
 teste *Mylero c. l. c. 6. num. 1.* & quamvis *Stryck. in Not. ad
 Brunnem. Jus Eccles. l. 2. c. 16. §. 6.* mentionem faciat Nobilis
 cu-

cujusdam, qui foeminam civici ordinis duxerat sub pacto Morganatico, addit tamen, illud indultu & consensu Sere-
nissimi Electoris Brandenb. ipsi permissum fuisse. Ut hinc,
si Vasalli, s. Nobiles, s. Landsassii sint, tale connubium inire
vellent, speciali consensu Domini territorii opus haberent,
uti monet *Joh. Sam. Stryck, in tr. de Dissens. Sponsal. sect. 5. §. 72.*
In Holsatia illud etiam à plebejis usurpari, fidem facit Marsia
Steinburgensis, die *Ettemper und Wisster Marsch*, cujus in-
colis matrimonia ista, existentibus jam tum ex uxore defun-
cta liberis, non infueta, qui uxores hoc pacto ductas appella-
re solent, *Heuer Frauen*, qd. pro certa mercede, assignata
scil. illa portione, ad societatem conjugalem, à marito con-
ductas, referente *Elia August. Stryck. (Prof. Kilon.) in disserr.*
de Matrim. ex Rat. Stat. c. 2. p. 15. num. 50. Præmissis his,
(plura enim de hac materia conscribere non lubet;
adeat, cui volupe, *cit. Myler. ab Ehrenbach. in Gamol. Princ.*
Lynck; Schwueder, & ex parte *Salmuth in Respons. de Matrim.*
Princip. cum virg. nob.) *Et. ad Quæst.* Licet primo intuitu hoc
pactum videatur injustum ac illegitimum, quod liberos pa-
riter ac uxorem à dignitate & successione paterna excludit,
contr. l. 17. ff. de Adopt. l. 8. ff. de Senat. l. 11 ff. de Lib. & posth.
hered. ubi filii etiam vivo patre rerum paternarum Domini
existimantur. *l. 50. §. 2. ff. de Bon. libert. l. ult. C. de incol. l. 11. C.*
de Dignit. Attamen cum pactum hoc, consuetudine intro-
ductum & moribus approbatum sit, nulla quoque ratione erit
injustum ac illegitimum. §. 9. *de J. N. G. & C.* nullam enim mo-
ralem vel naturalem continet turpitudinem aut injustitiam;
cum lege naturali minime prohibitum sit, in arctissimam
conjugalem societatem cum foemina, affectu quidem mari-
tali, & sobolis procreandæ causa, citra tamen animum com-
municandi, omnimodam successione & dignitatem, tam
ipsi, quam liberis, coalescere. Præterea matrimonii substan-
tia ac legitimitati, per hoc pactum nihil quicquam decedit,
nihilque liberis, quam quod civile est, adimitur 2. *Feud. 29.*
Digni-



Dignitas quippe parentum per leges civiles saltem communicatur liberis, & hæreditas paterna tota, nunquam ipsis Jure Naturæ assignata est *Stryck. Exam. J.F. c.7. q. 8.* Et quamvis in contrariam sententiam abire videantur argumenta, quod scil. matrimonio ea forma sit data, ut sit consortium omnis vitæ & communicatio omnis divini & humani juris, quod familiam sequitur *l. 1. ff. de R.N.* quæ, aliaque quam plurima jura, liberi non à parentibus, sed ab ipsa natura consequuntur. Accedit, hoc esse naturæ suffragium, ut conjugia æqualia, liberi æquales sint. Verum cum hæc permissivi sint juris, ita facile introduci potuerunt; dignitatum enim omnium, mensura à Principe, tanquam fonte omnis potestatis dignitatisque fluit, qui proinde legem illis dicere, & cui tribuendæ sint, statuere potest. *Excell. Du. Kestnerus, hujus Alma Professor celeberrimus, Fautor meus maximè colendus, in tract. de Jur. Nat. cap. 4. §. 6.* Quapropter, sicuti Matrimonium istiusmodi (*Jur. lincken Hand*) utut effectibus quibusdam ex Jure Civili fluentibus destitutum, verisimium esse matrimonium, statuimus, ita quoque pactum hoc, imprimis si à Principe matrimonio adjectum, absque distinctione validum esse, firmiter concludimus; In Nobilibus vero, aut aliis inferioris fortis hominibus, non aliter, (moribus sc. hodiernis) nisi consuetudine speciali, aut consensu Principis approbatum. Unde pactum ejusmodi in causa nobilis, qui cum virgine nobili matrimonium hoc pacto, absque tamen principis consensu, inierat, pro nullo aut non adjecto, judicatum, testatur *Stryck. in tr. de Dissens. Sponsalio. sect. 5. §. 73.*

Quæst. V.

Maritum tanquam caput familiæ non tantum in liberos, sed etiam in uxorem potestatem & imperium omni jure habere, non dubitatur, *Tiraqu. leg. Connub. 1.* Sed Quæritur,

An per pactum Sponsus, ardore amoris com-
C
motus

motus, vel ut eò citius consensum sponsæ impetret, ipsi, tanquam uxori futuræ, impetrandi potestatem (daß die Frauen Hut haben solte) cedere possit, & an illud servare teneatur?

¶ Quamquam pactum hoc non contrariari videatur Juri Naturæ, vid. latè *Pufendorff. in tract. de J. N. & G. l. 6. c. 11. §. 11.* ut hinc *Job. Baptist. von Helmont. in th. 11. p. 654. edit. Amstel. 1648.* scribere non erubuerit, daß auch im Stande der Unschuld Adam nicht ein Mann, sondern bloß ein famulus der Ehen gewesen. Et non solum historia testantur, fuisse integras gentes, ubi viris suis imperarunt uxores, de quibus *Diodorus Siculus*; Sicuti in Achaja mos est, ut uxores viris imperent, teste *Guevar. horol. Princip. l. 2. c. 7. §. 243.* hinc proverb.: *Er lebt wie ein Achæer.* De uxoribus Regionis Mediæ in Asia refert itidem *Boëmus de mor. & rit. omn. gent. l. 2. c. 5.* Pulcrum scemina multos habere viros, pauciores quinque, calamitatem arbitrari; inde probabile videtur, sceminas etiam in maritos habuisse imperium; Græci uxores suas *deomivæ* vocant, vid. *Zeitlers r. de Polyg. p. 20.* Sic quoque Pandæ Indorum gens, scemineo sceptro parent, *Plin. l. 6. c. 20.* Sed exempla etiam inter Christianos adsunt, v. gr. Maria Scotiæ Regina, sola gubernaculis Regni præfuit, & marito suo in publicis negotiis non nisi ministri loco usæ est. *Becm. Meditat. Pol. c. 6. §. 3.* & modernæ Regiæ Angliæ Annæ Conjug, Georg, Dux Jorens. officio, dum adhuc in vivis esset, Architalassi functus est. Præterea neque Juri Civili contrarium videtur ejusmodi pactum, uxores enim à viris Dominas appellatas fuisse, constat *ex l. 41. pr. ff. de Legat. 3. l. 19. §. 1. de ann. leg. l. ult. §. 1. ff. de aur. & arg. leg. & Nov. 74. c. 4.* ubi quia vir vocabat Dominam coherentem, & ista illum similiter nominabat, *add. Peck. r. de Testam. conjug. l. 5. c. 4. num. 4. & 5.* Neg. tamen rectius per *l. 7. §. 16. & l. 38. de Rati. c. 18.*

de

de Jurejur. c. 13. q. 3. cum ad ea, quæ pugnare cum LL. divinis, humanis, & ipsâ honestate, obligare quis se non possit. *Bodin. l. 1. de Republ. c. 3.* Pactum autem de concedendo uxori Imperio contra Jus Divinum est, utpote quod marito expresse imperium concessum legimus, *Gen. III, 16.* (quem locum duris admodum expressionibus tradit Interpres in editione Germanica de anno 1493. *bat is/ he skal over die heerschaapen/ die vacken the pienigen/ ende the schlagen.*) *Epist. Paul. ad Ephes. V, 22. ad Coloss. III, 8. 1. Pet. III, 1. 1. Corinth. XI, 3.* Quod ipsum cum ipsis Juris Naturæ Principiis convenit, uxor enim in subsidium mariti nata, ejusque socia & instrumentum propagandæ sobolis est, ut adeo matrimoniale debitum exigenti, parere debeat. Accedit, quod ut plurimum masculinus sexus longe capacior sit sceminedo sexu, tam ratione virium corporis, quam facultatum animæ, neque unum alterumque exemplum in contrarium hanc sententiam destruit, vitiumque eod in casu in individuo non toto sexu deprehenditur, ut adeo, si inter se contendant, recte Grotius decidat, ob sexus præstantiam patris imperium præferri. *Excell. Dn. Kestn. in tract. de F. N. & G. c. 4. §. 9.* Sic *Augustin. l. 1. de Nupt. & Concupisc. ad Valerium c. 9.* scribit: Non dubitari potest, naturalijure viros potius sceminis, quam sceminas viris principare. Ut taceam, etiam bruta huic rei testimonio esse, quippe quæ & ipso ductu naturæ ita vivunt, ut mares sceminis imperent. Neque his adversum est Jus Gentium, hoc enim jure maritus semper habitus fuit Dominus uxoris, *Gudelin. l. 1. de Jur. noviss. cap. 7.* Deinde hoc pactum contrariatur Juri Civili, *l. 58. pr. ff. de Donat. inter Vir & Ux. l. 88. §. 2. ff. de Legat. 2. l. 12. C. qui pot. in pign.* & denique Juri Canonico quo maritus caput uxoris constituitur, *c. 15. caus. 33. quest. 5.* & mulier diserte dicitur subiecta esse dominio viri, nullamque auctoritatem habere, *Can. 17. ibid.* Et dicta adeo vera sunt & obtinent, licet Sponsus vel maritus Sponsæ vel uxori id jurato promiserit, cum hoc juramentum contra bonos mores,

& omnes leges prælitum sit, hincque non servandum, c. 58. de R. I. in VI. in malis enim promissis fidem observari non expedit c. 69. de R. I. in VI. Interea testatur experientia, dominium nonnunquam ab uxoribus vel vi, vel clam, vel precario occupari, ut hinc forsitan non absque ratione optaverit *Schuppins* im *Regenten Spiegel* c. 11. Daß in manchem Lande des Ahasveri Königl. Ausschreiben/ welches in sich hatte: daß ein jeglicher Mann der Oberherr in seinem Hause wäre Ekher II, 19. renovirt würde. Quibus tamen, quin aliquando Abigaëlis prudentia, Nabalidis stolido imperio sit præferenda, minime negamus, cum *Gerharδο* tr. de *Conjug.* th. 87.

Quæst. VI.

Vi hujus Imperii aut Dominicæ potestatis, Marito competit jus, uxorem non tantum modicè castigandi, *Nov. 117.* sed etiam verberandi, in casu extremæ necessitatis, cum monita omnia sint frustanea, pro ratione peccati admissi; *vid. Stryck, ad Brunnem. Jus Eccles. l. 2, c. 17. §. 31.* non enim omnia verba sesamo, papavere ac violis vestire, sed obloquentem mulierem (cum singularum Xantipparum non possunt esse singuli Socrates) increpare, imo increpitare marito fas est, prout loquitur *Mich. Havemann, de Jure Connub. l. 3, tit. 8. Arnis, de Jure Connub. c. 7, num. 5. §. 9.* hinc oritur Quæstio: **An uxor pacisci possit, ne maritus ipsam modicè castiget, multo minus verberibus excipiat, & an huic pacto maritus stare teneatur?** Negari hoc videtur, cum hoc pactum uxorem ad delinquendum invitaret; Mulieres enim molendinis similes esse dicit *Havemann de Jur. Connub. l. 3, tit. 8.* in quibus æque semper aliquid est, quod emendetur. Hinc non nemo (quem naturæ errorem & brutum, quàm hominem verius vocaverim) perfricta fronte dixit:

Nux

Nux Asinus Mulier, simili sunt lege ligati
Hæctria nil faciunt recte si verbera cessent.

(Quæ tamen, ne injurius æque sim, erga tenerem hunc sexum, honore & amore sec. monitum *Apostoli 1. Pet. III, 7.* & commiseratione dignum *l. 12. C. qui pot. in pign.* cum protestatione allegare volui.) Sed Affirmativam, uti benigniorem, ita quoque verio rem putamus. Hæc potestas enim coercendi, cum marito non jure positivo, sed saltem permissivo in ipsius favorem concessa, non video, quare maritus huic favori pro se introducto renunciare non possit *l. pen. C. de Pat.* Accedit quod amicum debet esse imperium viri, quale ante lapsum in Paradiso fingit *Augustinus lib. 2. ad Gen. XXVI.* dilectionis potius, quam conditionis; neque cum uxore agendum est ut cum serva, sed ut cum socia *Arist. 8. Ethic. c. 10.* Quo pertinet illud *R. Abarbanel apud Simeon de Muis quem allegat Zeidler in tr. de Polygamia pag. 19.* neque Deus mulierem creavit expedibus, quæ abjectior in homine pars est, ne illam haberet pro ancilla, neque ex capite, ne illa sibi videretur Domina, sed ex costa, quæ medio in corpore jaceret, ut doceretur: utrique parem in modo locum, ac dignitatem competere. Præterea, cum uxorum delicta, ex maritorum culpa sæpius venire videantur, eò magis convenit maritis, ut uxoribus ignoscant, *vid. Guazz. de Civit. conversat. dissert. 9.* Et quanquam *Ant. Guevarra*, infortunissimum non sine causa hominum, maritum, cui uxor refractaria, inobsequiosa & imprudens contigit, conquestus est, attamen tanquam necessarium malum (ut prudenter ait, *Corasus*) perferenda nobis est, quæ inconstantis, varii & malitiosi sæpe animi, multarum calamitatum hominibus, ab initio mundi, causa extitit, *ad tit. de Stat. Hom. Sibm. nucl. f. p. 292.* Probe *Gellius* vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit commodiorem præstat, qui fert, sese meliorem facit. Absit itaque, ut virum renunciantem suo juri, & uxori leviter delinquenti, ignoscentem, quasi contra hone-



honestatem aut bonos mores aliquid committeret, ignominia, ut potius ob summam ipsius patientiam, tanquam alterum *Socratem* summa laude afficiamus; quorsum apprimè referenda verba *Chrysostomi*: Nullum sit tam magnum peccatum, quod ad verberandum vos viros compellat uxorem, ultima namque ignominia est non ejus qui verberatur, sed qui verberat. *add. 1. Pet. III, 7. Ephes. V, 22. Theodorico. Colleg. Crim. Diss. 10. th. 4. lit. B.* Unde etiam *Stryck*, in *Dissert. de Alapa c. 2.* maritum privari vult suo jure, si uxori citra causam alapam saltem infligat, quod per regulam generalem: abutens suo jure merito eodem privandus sit. Et si alaparum tanta fuerit vis, ut & sanguinem elicuerit, uxor ad divortium, partiale scilicet, sive separationem à thoro & mensa, agere, idque obtinere potest.

Quaest. VII.

Maritum imperium & potestatem durante matrimonio in uxorem habere, in praecedentibus vidimus; hanc autem potestatem, morte mariti solvi, nullum est dubium, quoniam mors omnia solvit *Nov. 22. c. 20. 1. Cor. VII, 39.* ita ut mulier mortuo marito ipsius lege non amplius ligata, sed soluta sit, iterumque, si velit, alii nubere possit. Hinc quaeritur, Si uxor vivo marito, pacto se adstrinxerit, se nolle ad secunda vota transire, an pactum implere teneatur? Antequam ad Q. Respondemus, paucis dicenda quaedam erunt de secundis nuptiis; easque licitas esse tituli in *Cod. & Decretal. de Secund. nupt.* ut & sequentia satis evincunt. Apostoli enim praeeperunt, propter incontinentiam hominum secundas adire nuptias *cit. Epist. 1. ad Corinth. VII, 39. 1. Rom. VII, 2. 3. Augustinus lib. contra adversar. Leg. secundas nuptias in utroque testamento permissas docet, & in Quaest. ex V. & N. T. collect. c. 15.* mulieris

in



in urbe Roma meminit, quæ maritos XI. & viri alterius qui XII. uxores unam post alteram habuit. Aliud Exemplum viri qui XX. uxores, & uxoris quæ XXII. maritos in matrimonio habuit, hasque personas matrimonio junctas demum fuisse, refert *Boër. decis.* 186. Non defuere quidem, qui ex doctrina *Tertulliani lib. de Monogam. & de exhortat. castit.* secundas, & imprimis tertias nuptias, ut stupra & adulteria habuerunt & condemnarunt, dicentes: sec. præceptum Apostoli eas quidem licitas, sed sec. rationem veritatis, veram fornicationem quoque esse. Verùm addit *Menoch. A. F. Q.* quia permittente Deo publice committitur, fit honesta fornicatio. Certum hoc est ex Jure Civ. & Can. has nuptias maxime odio haberi, de quibus Commentatores passim, *Newenbahn. de Jur. viduit. membr. 3. sect. 17. lit. c. pag. 149.* & mulieres uno matrimonio contentas, pudicitia coronâ honoratas fuisse refert *Valer. Max. l. 2. de Institut. antiqu. exempl. 2.* plura vid. ap. *Luc. de Penna in l. quoties C. de Privil. Scholar.* Ideo tamen non statim sequitur illas esse in totum prohibendas & damnandas. Jam ad Quæst. respondemus, quamvis dubium moveri possit illud, quod ex pacto & conventionione contrahentes ita obligentur, ut promissioni factæ contravenire nec debeant nec possint *l. 25. ubi Dd. ff. de adopt. l. 11. ff. de S. P. R. l. 18. Comm. præd. l. 14. C. de R. F.* pacta enim contrahentes ligant; nec porro subesse videatur res turpis, inhonesta impossibilis. it. quod *Apostolus 1. Corinth. VII.* commendat viduis castitatem, & ut maneant in statu viduitatis. add. quæ *Chemnitius p. 3. Concil. Trident. de Conjug. & Celibat. c. 4. p. 37. haber.* Verum his rationibus non obstantibus, viduam non teneri pacto stare, sequentes evincunt rationes: quia hoc pactum impossibilitatem & turpem causam continet, læditur enim conscientia, turpique vitæ lata aperitur via, repugnatque divinæ sanctioni, qua juniores viduæ nubere & liberos procreare jubentur; *1. Timoth. 5. 14.* hocque pactum cum periculo animæ atque corporis

CON-

conjunctum est, siquidem hac ratione quis se illicitis uestioni-
bus, quibus per conjugium mederi valet, objicit. *Baldwin. de*
Cas. consc. l. 3. c. 3. cas. 7. Facit huc effatum Imperatoris in
l. 2. C. de Indict. viduit. licere uxoribus spretâ maritorum
suorum interminatione, quæ eis viduitatem inducit, ad secun-
das nuptias migrare, cum interfit Reipubl. numero civium
ipsam augeri. Ut hinc tutò afferere liceat, conjugem salvâ
conscientiâ nuptias secundas inire posse. Et hæc ita vera
sunt, ut nec juramentum confirmatorium, mulierem obligare
possit per *c. 58. de R. l. in VI. c. 18. de Jurejur.* constat quoque
de Jure Civ. super re, s. naturaliter s. civiliter injusta aut nulla,
juramentum interpositum & ipsum actum nullum esse *l. 5.*
C. de Legib. Frantz. k. ad ff. de Jurejur. num. 9. & hic periculum
animæ subesse, non difficulter patet *1. Tim. V.* ad quem locum
notanter *Gerhard. in loc. de Conjug. §. 519.* ait: quotidiana
experientia clamat, quosdam in primo quidem juvenilis
ætatis flore ac vigore, cœlibatus amore & admiratione ita
duci, ut deliberato etiam proposito, eum suscipere non reformi-
dant, qui postea incontinentiâ ita tentantur, & uestionum
flammis ita æstuant, ut nullo conatu, nulla luctâ, nec reme-
diis aliis eas reprimere & extinguere possint, ideo gravissimo
salutis periculo se exponunt.

Sectio III.

Quæst. I.

Progredimur ad ea pacta, quæ matrimonii finem, aliaque
adjuncta concernunt, ubi primo loco se nobis sistit Quæst.
Num pactum quo conjuges perpetuam ca-
stitatem fovere sibi invicem promittunt,
licitum sit? *13.* Matrimonium absque concubitu &
cum intentione non coeundi subsistere posse patet *ex l. 30. ff.*
de

de R. I. c. *sufficiat* 2. & c. *beata Maria* 3. c. 27. qu. 2. *Brunneman*,
R. P. W. tit. de Nupt. Sufficit enim intendi ac obtineri à con-
 jugatis, divinitus institutum finem alterum, nempe mutuum
 adjutorium. *vid. Dunth. in cas. conscient. pag. 803.* ubi: Dazu
 ist vornemlich der Ehestand eingesezt, daß eines des andern Ge-
 hülfte seyn soll; und ist also fürnemlich der Ehestand eingesezt/
 daß die beyden Eheleute zusammen Gott erkennen sollen / wel-
 ches geschehen kan / wenn sie noch keine Kinder haben / oder ganz
 keine Kinder haben solten. Und hierauf spricht er allererst: Wach-
 set und mehret euch / seyd fruchtbar und füllet die Erde. Es ist
 aber offenbar / daß nicht alle Menschen fruchtbar seyn / und die
 Erde füllen / das ist / Kinder zeugen. Darauf denn folget / daß
 der Mensch nicht principalissime darum von Gott in den
 Ehestand gesezt / daß er auch Menschen zeugen soll. *Exempla de*
ejusmodi conjugiiis adsunt, tam in sacris, de Josepho & vir-
gine Deipara S. Mariae Matth. 1, 20, 24. Luc. 1, 27. *vid. late*
Respons. Facult. Regionont. p. 17. von der Capaunen Heyrath;
 quam in profanis, nimirum de Boleslao pudico Rege Polon.
 qui cum uxore perpetuum virginittatis votum habuit.
Chvvalkovvski Singular. Polon. p. 63. Aliud de Henrico II.
 Imp. Rom. cum Cunigunda, qui moribundus dixisse fertur
 amicis conjugis: Recipite quam mihi tradidistis virginem
 vestram. *Franck, de IV. Monarch. p. 783.* & de Alphonso II.
 cognom. casto, *Hubener. Hist. p. 2. p. 118.* Fuit quoque tale
 connubium Pelagio Episcopo Laodiceo cum uxore sua, quam
 adolescentem duxerat. Ipsa enim prima nuptiarum die in
 thalamo nuptiali persuadebat ei, ut continentiam voveret,
 teste *Theodoret. 1. 4. hist. Eccl. c. 12.* Notum quoque est Exem-
 plum Pulcheriæ Augustæ sororis Theodosii Imperatoris, quæ
 cum perpetuam Deo vovisset virginittatem, mortuo fratre,
 nupsit quidem Marriano, sed ea lege, ut castittatem suam Deo
 votam conservare ipsi permitteretur, quod & præstitit. *Ex*
Cedreno Zeidler. tr. de Polygamia pag. 89. 90. Concludimus ita-
 que cum Augustino 1. 1. de nupt. & concupiscent. c. 11. Quibus
 pla-

placuit ex consensu & usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imo firmiter erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ carius concordiusque servanda sunt, non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.

Quæst. II.

Ex dictis facile erui potest solutio dubii, à Canonistis ut plurimum moti: An habilis, probe conscius de impotentia alterius conjugis, si paciscatur, se nolle divortium petere ob inhabilitatem, non obstante pacto, divortium petere possit? *3.* Quod pro remansione potius quam separatione pronuntiandum, quum eam habeat (præsertim Jure Can.) tanquam sororem, quam tanquam uxorem habere non potest ob finis carentiam, ut puta procreationem sobolis. *Bidenbach. in lib. de Caus. matrim. p. 75. atq; ita à Consistorio Lips. m. Octob. 1666. pronuntiatum. Exempla qui desiderat, videre illa potest, apud Salmuth. in Responso pro matrimon. Princip. cum virg. nobil. Inter quæ admodum memorabile est illud, de Elisabetha Gorzaga Mantuana, Urbini Ducissa. Imo tantum abest, ut hanc partis validæ apud impotentem remanentiam & consociationem jura nostra taxent, ut potius majori præmio dignam judicent uxorem, quæ non attentâ mariti impotentia divortium haud petiit. Hinc Leges Saxon. non privant statutarîa portione conjugem, quæ impotenti ad mortem usque cohabitavit. *vid. Carpzov. Jurisprud. For. p. 3. C. 19. D. 5. qui in causa M. Hefendorffen zu Deuma m. Jan. 1632. Scabinos Lips. ita pronunciasse refert. Idem in puncto impotentia feminiæ, cui maritus nihilominus cohabitavit, laudatâ Scabini responderunt an. 1627. notante Berlich. p. 3. Concl. 25. num. 36.**

Quæst.



Quæst. III.

Minus dubii autem illa quæstio habet, Si quis pacto se obligat, se nolle petere divortium ob sterilitatem conjugis, an hoc pactum servare teneatur? *Et*. Licet divortium suadere videantur ratio & Exempla, cum neque hic matrimonii finis sobolis scil. procreatio attingatur, qua ratione illud olim permissum. *l. 60. §. 1. ff. de Donat. inter Vir. & Ux.* Et Spurium Carvilius ob sterilitatem uxorem dimisisse tradit *Dion. Halicarn. l. 2. A. R. Gell. l. 4. c. 3.* plura Exempla videri possunt apud Schönborn. *in Pol. l. 1. c. 6. circa fin. & Myler. in tract. de Gamolog. Princ. c. 4. §. 9.* Hinc Felinus *ad c. cum sit X. de for. compet. num. 15.* putat: Matrimonium non esse, quando mulier ita sterilis est, ut deficiat spes concipiendi. Verum exemplo perniciosum est, ex hac causa dissolvi matrimonium *per c. tantum 32. quæst. 7.* Etsi enim ad tempus mulier fuerit sterilis, tamen sæpissime votis correspondit eventus, quod docent exempla itidem tam sacra quam profana adducta à Schönborn. *in Pol. c. 1.* Inter profana, singulariter notandum illud nostris temporibus, Annæ Mariæ Hispan. Regis Philippi IV. sororis, uxoris vero Ludovici XIII. Regis Gall. post 22. annos sterilitatis cum admiratione totius orbis, in mundum excludentis modernum Galliæ regem Ludovicum XIV. *Beccan. Hist. O. C. de regn. Gall. p. 504.* Reginæ Angliæ Jacobis Regis dethronificati, uxoris exemplum, tanquam odiosum & ab Anglis in dubium vocatum, allegare hic non audeo. Concludere inde *Dd.* volunt, quod neque Pontifex dispensare possit, ut rex habens conjugem sterilem, aliam ducat *Schneidewin. ad tit. de Nupr. p. 128.* etiamsi ratio Status id exigat. Et supra allegata à Schönborn. & Myler. exempla non evincunt sterilitatem, justam divortii esse causam, ut hinc optime *Forstner. in not. ad Tacit. l. 12. Annal. c. 2.* esse hoc inter illa quæ



solis sibi licere putant Principes instar privilegii, repudiare uxores formâ, pudicitia, obsequio probatas quidē, sed steriles. Quare cum propter sterilitatem divortium ipso jure non concedatur, per *l. 22. §. 7. ff. sol. matr.* multo minus matrimonium solvendum erit, si pacto quis confirmaverit, se ob sterilitatem divortium petere nolle. Aliud tamen dicendum foret, si sterilitati, alia adjuncta sit impotentia species, de qua casum notat singularem *Stryck, ad Brunnemann. Jus Eccles. l. 2. c. 17. §. 7.* quem huc transcribere, ne casti animi offendantur, lubentes intermittimus.

Quæst. IV.

Majoris sane momenti quæstio est, Quid de pacto sentiendum, si sponsus vel maritus paciscatur, ut, cum inveniret uxorem in habilem aut sterilē, vel morbo contagioso laborantē, ipsi licitum sit aliam super inducere uxorem?

Non subsistit pactum, tanquam contra Leges & bonos mores initum; sapit enim delictum polygamia, quod hodie sub capitis pœna prohibitum *V. S. G. D. a. 121.* Nec licet illi, qui actu uxorem habet, alteram superinducere; cum tota fides connubialis ita præsentis conjugii debeat, ut ne sub conditione quidē alteri communicare queat *Schröt. fascic. cas. consc. cas. 41.* Indecens quoque & noxium est, & per ejusmodi licentiam nō possunt non & familia & publicæ civitatum decor gravissime convelli, *uti Consiſt. Lips. a 1631 respondit,* ubi inter alia: auch in des Weibes Macht nicht stehet, mit einer andern sich zuverehlichen. Unde *Dannhauer in Theol. consc. p. 2. sect. 2. dial. 3. a. 5. q. 5.* cordate pronuntiat, illicitū omnino fuisse concubinatum magni cujusdā Principis *regis* cui conjux illustris, quia inexhausti ad ul² veneros fuit succi, ut nō potuerit, quoties ille voluit, ipsi debitū Evocæ reddere, potestatem fecit, sibi concubinā adjungendi, eique minime licuisse, illa sibi ab uxore data potestate frui, quia



quia accidens tale non potuit tollere regulam. Nec obstat, quod factum Comitis de Gleichen, foeminam Saracenam in praemium liberationis à captivitate Turcica, superinducens, Theologos approbasse testetur *Gerhard. de Conjug. §. 226. Havemann. Gamol. l. 3. tit. 4. in fin.* atque ideo eò facilius ipsum dispensationem Pontificis obtinuisse referat *Anton. Maub. ad l. 48. ff. tit. 3. c. 7. n. 8.* simile exemplum allegans, quod suo ævo contigit, & neque probare, neque damnare sustinuit Amstelodamum. *add. Bechman. ad ff. tit. de R. N. n. 6.* ubi de alio cujusdam nobilis Saxon. exemplo testatur, qui Jctorum Jenens. sententiã ob probatam, quam præterdit necessitatem, ab inquisitione absolutus est. Aliter enim de illo Comitis de Gleichen factò, laudatus antea *Dannb. c. l.* judicat, religiosè pro conscientia respondens: illicitam fuisse semel admissi ab ipso delicti continuationem, quocumque illa etiam aliàs pietatis titulo cohonestetur. In male enim promissis rescinde fidem. *§. c. 22. q. 4. c. 69. de R. I. in Vl.*

Quæst. V.

Præcedentia excipit pactum circa qualitatem virginitatis; sit igitur quæstio vel casus: Si Juvenis ambiret mulierculam quandam, non satis integræ famæ, & propter nimiam familiaritatem & continuam conversationem cum uno vel altero, suspectam, quæ conscientia de mala ipsius fama, petito juvenis ægre annuere vult, ad instantiam tamen juvenis, amore illam exæstuantis, consentum ipsi denique præbet, hoc pacto, ut, si ipsam fortasse virginem non inveniret, eapropter repudium petere nolle, quòd juvenis amoris æstu percitus, promittit. Post consummationem autem matrimonii, intra paucas septimanas apparet, illam esse gravidam, an juvenis stare pacto teneatur? *R.* Quod primum quæstionis membrum attinet, hoc pactum à parte juvenis videri aliquid turpitudinis involvere, eò quod quilibet se sapientem sententiæ conformare, sicque Salomonem sequi malle censeatur *Prov. V, 8. & XXII, 14. Man soll seine Sure*



Hinc weder nehmen noch behalten & *sec. Ambrosium in Can. in-*
segritas c. 32, q. 1. crimen lenocinii ab eo committi videatur,
arg. l. 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. A parte mulieris v. pactum
hoc esse incontinentium delinquendi, eo quod muliercula, simu-
lans se corruptam, cum tamen adhuc virgo sit, vi hujus pacti,
occasionem arripere posset corporis sui potestatem, alii
amanti vel proco, cujus amore quidem haecenus maxime
flagravit, ob dissensum v. parentum, vel aliud aliquod impe-
dimentum, ipsi nubere haud valuit, faciendi. Verum hoc
pactum subsistere posse ex sequentibus patebit rationibus,
cum de matrimonii substantia virginitas minime sit, ut ipsam
matrimonium afficiat, cum idem iustum & legitimum cum ea
de qua corruptam esse constat, aequae contrahi possit. Accedit,
quod talis opus misericordiae, pio ac Christiano dignum, fa-
cere dicatur, qui aut corruptam ducit, aut in matrimonio
retinet. Sic quoque qualibet vitiata statim meretrix dicenda
non est, licet non sit honesta *Menoch A. J. Q. c. 328.* ubi: mu-
lierem non esse infamem, turpem personam vel meretricem
dicit, si amore vehementi capta sui copiam amanti fecerit,
sed illam saltem, quae multorum libidini patet *can. 10. dist. 34.*
& *Gl. ad h. c.* Notum praeterea est, quod à Consistoriis inter
ejusdem personas, divortium tum demum concedatur, cum
post tentatam & saepius reiteratam conciliationem, in gra-
tiam redeundi, vel emendationis in vitiata, aut futurae con-
cordiae nulla spes sit, atque ita infelix admodum metuendum
matrimonium; quod si enim gratiam facere vellet vitiatae
maritus, ob violatam fidem, nihil obstabit, quin matrimonium
tale salvum ratumque manere, & per consequens pactum
quoque firmum subsistere possit. Aliud vero dicendum fo-
ret, si post hoc pactum aut post contracta sponsalia, sui co-
piam mulier alteri fecisset, cum ita ex dolo suo compendium
quaereret, *l. 12. ff. de dol. mal.* & quia ipsa fidem fregit, nec
fidem à Sponso servandam postulare potest; frustra enim
sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem à se praestitam
ser-



servare reculat *c. 75. de R. I. in VI.* cum cuius promissioni aut pacto, hæc tacita insit clausula, si sibi fides quoque servetur *c. pervenit X. de Iurejur. l. cum proponas C. de Pact.* Quod alterum quæstionis membrum attinet, distinguendum: aut maritus, comperto eam esse gravidam, ab ea protinus abstinuit, aut non obstante graviditate, nihilominus rem cum ipsa habuit; hoc casu, illam in matrimonio retinere tenetur, neque ad divortium agere potest, cum præter pactum, per copulam carnalem ipsi condonasse videatur. *Hahn. ad Wesenb. tit. de Nupt. n. 3. Kitzel. c. 4. synopsis, matrim.* Illo casu, quanquam fero mores mulieris accusare conetur *arg. l. 19. ff. de R. I.* at tamen repudiare ipsam, & divortium petere quin possit, nulli dubitamus. Consciis quidem esse potuit & debuit, de re præsentem, de conditione nimirum, de moribus, & de ipsius vita luxuriosa, aut non admodum casta; non autem scire potuit futura, quod tale vitæ genus quoque, cum maritata esset, prosequi animo proposuerit. Tacite enim de castitate imposterum servanda stipulatus est maritus, eaque non reperta, matrimonii rescissionem petere & obtinere potest. Quapropter renunciando virginati, non statim etiam renunciassse oneri, partum alienum alendi, videtur; quippe nemo renunciare præsumitur rei, de qua non cogitavit, tempore renunciationis *l. 9. §. 3. ff. de Transact.* & ad non cogitata voluntas humana minime extenditur. Sunt præterea renunciationes stricti iuris, & iis non veniunt, nisi ea, quæ in specie expressa sunt. *l. 35. in fin. de Pact.*

Quæst. VI.

Ex dictis aliud resultat dubium idque non leve, Si nimirum uxor, cum qua maritus tali modo, uti quæst. præced. dictum, pepigit, eamque toties quoties post matrimonii consummationem cognovit, aliquot septimanas autem post

post vitâ defunctus, initio 7. vel 8. mensis, à die nuptiarum partum excludat, an hic parus defuncto marito attribuendus, & an ad avi, aliorumque adgnatorum hereditatem admittendus sit? Dicendum videtur quod non, quoniam istud tempus pariendi à tempore ordinario & à regulari naturæ cursu defleat, & ejusmodi partus raro perfecti & ita validi, ut vivere diu possint. Scripta quoque veterum si evolvamus magnas controversias de hoc exitisse passim videre licet. Vix enim persuaderi potuerunt, ut crediderint, partum illum, qui X. mensium spatio natus non esset, perfectum & legitimum esse posse. Hincque filius Aristionis Democratus regno pulsus & privatus est *Herodot. l. 6. Pausan. l. 3.* Huc facit *Euripb. Gnidius* statuens: partum septimestrem, nec vitalem nec legitimum esse, sed plane à natura alienum. *vid. Hahn. ad Wesenb. tit. de Stat. Hom.* Et quamvis ejusmodi partus aliquando pro legitimis habiti fuerint, respectus tamen habitus ad mulieris mores, famæ integritatem, ejusque cum honestis conversationem, quæ omnia hoc casu de scæmina quæstionis, allegari nequeunt; ut hinc ex indicis istis concludere liceret, eam ab alio vitiatam ante consummationem matrimonii fuisse, & per consequens partum illegitimum, neque ad hereditatem patris aut avi admittendum esse. Verum non obstantibus his, affirmativam amplectimur, eamque probamus auctoritate *Hippocratis & Jurorum*, præ aliis *Justiniani Imperatoris l. 3. §. fin. ff. de suis & legit. hered.* ubi: de eo autem qui centesimo octogesimo secundo die natus est Hippocrates scripsit, & D. Pius Pontificibus rescripsit, justo tempore videri natum. *l. 12. ff. de Stat. Hom. & Gl. add. l. Menoch. A. J. Q. l. 2. q. 2. cas. 89. n. 35. Carpzov. p. 4. const. 37. D. 13. Richter 2. Dec. 89. n. 23. Hahn. c. l.* Præsumitur deinde pro partu, quoniam pater is est, quem justæ nuptiæ demonstrant, *l. 5. ff.*



l. 5. ff. de in jus voc. l. 19. & l. 25. ff. de Stat. Rom. atque ex eo matrimonio quis natus videtur, in quo mater jam vivit. Et quamquam hujus regulæ frequens sit abusus, ejus tamen determinatio de nuptiis præsentibus hoc jure nititur, ut prolem à suspitione originis adulterinæ liberet. Sunt quidem nonnulli, qui determinationem patris, asserto matris relinquunt. *vid. Bruckner. Decis. matrim. in addit. ad c. 15. p. 524.* sed pauciores mulieres conceptionis actum clare & distincte sentire, sæpissimeque falli, experientia testatur. Præterea neque satis firmum hoc casu esset testimonium uxoris, propriam fortasse turpitudinem allegantis, aut ex hoc compendium querentis *l. 5. ff. de Condit. ob turp. caus. l. 4. C. de revoc. don. l. 1. C. de aleator.* Et posito etiam, matrem confiteri se ab alio concepisse, attamen ob favorem infantis, confessio hæc præjudicare partui minime posset, *l. 29. §. 1. ff. de Probat.* quia præsumptio, quæ pro filio pugnat ex matrimonio, per solam confessionem matris elidi, maxime si affectu quodam fuerit abrepta, nequit. *l. 5. & 6. C. de Testib.* nec præjudicat partui, licet mater adulterii convicta fuerit. *l. 29. §. 1. ff. de Prob. l. 11. §. 9. ff. de adul. Mascard. de Probat. vol. 2. concl. 789. n. 2. Gail. 2. obs. 97. num. 11.* Potest enim mater adultera esse, ac nihilominus filius ex patre, cum quo assidue morata mater, esse natus *l. 9. C. de Nupt. Hopp. Comm. ad J. p. 65.* Hæcque ita vera sunt, ut nec matri juramentum purgationis deferri possit. *Carpz. l. 2. def. 227. Hahn. ad Wesenb. c. 1. ubi Respons. & Richter. Dec. 39. num. 4.* ubi præjudicium allegat. Hoc juramentum quoque in nostro casu locum non habere, ob favorem partus & ob perjurii metum *can. qui hominem 22. q. 5.* firmiter concludimus.

Quæst. VII.

Secundas nuptias licitas esse, supra vidimus; Ne autem illæ maturæ nimis & justo citiores sint, mulier annum lugere maritum tenetur, *l. 1. ff. de his qui not. in fam.* partim ob reverentiam, quam, ut Jcti dicunt, debet mariti defuncti manibus *Nov. 22. c. 22,* partim etiam propter confusionem sanguinis

E

&

& superfoetationem; quæ num fieri possint, Dn. Medicis
 disquirenda relinquimus, nos saltem quæstionem pertracta-
 bimus: An Sponsus, ambiens viduam intra
 annum luctus, pacisci possit, se velle partum,
 si forsitan gravida vidua esset, pro suo agno-
 scere & an hoc pactum validum sit? *ꝛ. Neg^o*
 Est enim contra bonos mores, & honestatem, læditque utrius-
 que tam sponsi quam viduæ existimationem *d. l. i. ff. de his quæ
 not. inf.* repugnat id non solum honestati privatae, sed & pu-
 blicæ, *Arnif. de Jur. Connub. c. 5. §. 4. n. 8. vid. Ord. Matrim. El.
 Sax. de anno 1624. punct. 5. §.* Was endlich ubi: wann dann
 solches der Ehrbarkeit und natürlichen Pflicht zuwider / so
 wollen Wir / daß hinführo eine Wittibe ein ganzes Jahr / ihre
 Traurzeit halten *ꝛ.* Conjugali quoque amori graviter hoc
 pactum obstat; non enim sincero amore mulier virtum vide-
 tur amplexa, cujus memoriam statim à morte ipsius deponit.
 Contrarium quoque est hoc pactum Juri Civili, & Constitu-
 tionibus Imp. vi quarum, vidua intra annum luctus nubens,
 non modò infamia notatur, sed omnium quoque hereditatum,
 legatorum &c. expers habetur *l. i. C. de Secund. nupt. l. 22. §. 1.
 ad Municipal. seque dotalitio reddit indignam arg. l. 8. §. 4. C.
 de Repud.* Hinc etiam est quod vidua Ministri Ecclesiæ intra
 annum luctus nubens, reditus anni gratiæ perdat, *Carpzov.
 Jurisprud. Consist. l. 1. def. 185.* nec in ædibus parochialibus per
 annum commorari possit *rat. addit Stryck, in Dissert. de anno
 gratiæ. c. 8. n. 25.* Neque poenæ cessant, etiamsi conjux conjugi
 consultò permiserit intra annum luctus nubere; cum enim in
 illis nuptiis honestas & publica utilitas versetur, nihil certè
 dispensatio f. consensus conjugis, eo casu operabitur. *Muller.
 Dissert. de Odio sec. nupt. c. 3. ib. ult.* Jure Can. quidem hanc
 infamiam esse sublatam certum est, *c. 4. & 5. X. de Secund. nups.*
 quod tamen de eo casu intelligendum, quando non adest
 peri-



periculum turbandi sanguinis & superfoetationis, v. g. quando vidua posthumum enixa *Brunnem. R. P. W. ad tit. de his qui not. infam. q. 27.* nam eo casu ubi periculum tale est, nec voluisse praesumitur Pontifex, nec potuit adimere maculam, multo minus vero licentiam dare contra pudorem naturalem. Sicuti & infamia Jure Can. non tollitur, si vidua intra annum luctus luxuriose vivat. *Clarus in §. stuprum. n. 6. vid. Brunnem. Jus Eccl. l. 2. c. 17. §. 38 Jus Saxon.* quoque hunc rigorem temperasse, testatur *Carpzov. Jurispr. Cons. l. 2. def. 162.* verum manet hoc jure nihilominus prohibitio, qua etiam in foro Saxon. non modo vidua, sed & viduus intra tempus luctus a votis secundis abstinere obstringitur, in tantum, ut transgressores, se coercitionis arbitrariae reos faciant. *Carpz. pr. crim. p. 2. q. 65. n. 81.* Possit praeterea, partui hoc pacto praesudicari, ipsiusque conditio deterior reddi, dum fortasse spe opimam hereditatis a patre legitimo, aut avo veri patris adipiscendi, privaretur; vel, si v. g. verus pater nobilis fuisset, & bona feudalia possideret, secundus autem maritus talis non esset, cum tamen Reip. intersit ut ordinum dignitas familiarumque salva servetur *l. 1. §. 13. ff. de Venr. in ffic.* neque alteri per alterum iniqua conditio inferri debeat. *l. nlr. C. de acquir. & rer. poss.* Et cum minuitur jus alicujus, consequens est exquiri, an consentiat, *l. 8. de agri. et. 270. pluv. arcend.* consentire autem is qui in utero est, minime potest; quapropter nec ipsi jus suum detrahendum, neque conditio ipsius deterioranda est. *S. 2. J. de his que sui vel al. jur.*

Sectio IV.

Quaest. I.

REstat denique, ut adhuc quaedam dicamus de pactis quae conjugum bona concernunt. Ergo, an illud pactum utile sit, quo sponsa certam pecuniae summam inferre obligatur, & si non intulerit,

ut maritus illam propterea repudiandi, eique
domo expellendi licentiam habere debeat?

Quod primum quaestionis membrum attinet, *h.* pactum hoc
contra honestatem & bonos mores initum esse videri, eò
quòd amor honestus solis animis aestimetur & contrahatur,
non auro & argento. *l. 3. pr. ff. de Donat. inter V. & U.* & opti-
ma dos sit pudicitia; nec matrimonium à dote dependeat,
sed absque ea consistere possit *Nov. 22. c. 18.* Hinc foemina
olim nuptura asses tantum tres ad maritum veniens afferre
solebat. *Arum. l. 1. decif. 3. n. 11.* Sic juvenis apud Senecam
l. 1. contror. 6. inquit: ubi vero quis quaeret uxorem, videat
an nuptias suas amet, an nihil pluri faciat marito, an miseri-
cors sit, an fortis, an vero possit, si quid inciderit mali, una
tolerare; si his bonis fuerit instructa, dotata est. Verum,
corruptis seculis nostris, ubi pecunia primum quaeritur, virtus
post nummos, hoc pactum iniri posse non dubitandum, idque
toto die practitari Instrumenta dotalia satis superque testan-
tur. Hinc juvenis, cui locupletem uxorem ducere animus est,
prospicere sibi ejusmodi pacto non tantum, verum etiam, si
contractis sponsalibus talis opum cumulus non adsit, & se
vana spe saltem esse illectum appareat, resilire à sponsalibus
potest. Quoties enim dolus causam bonae fidei contractui
praebet, tunc contractus ille, ipso jure nullus est per *l. 7. ff. de
dol. Carpzov. l. 2. def. 22. Strycck. ad Brunnem. Jm Eccl. l. 2. c. 16. §. 13.*
Et quanquam Deus auctor & conservator matrimonii est,
non tamen illud ipsi arridet, quod per fraudem callidasque
machinationes inchoatum. *Strycck. Dissert. de Dissens. Sponsals*
Supra dicta vero procedunt, modo Sponsus sponsam car-
naliter non cognoverit, nam hoc modo, pacto, vel condi-
tioni adjectae renunciatum videtur *Strycck. c. 1. Carpzov. l. 2. D. 25.*
Ad alterum quaestionis membrum (si scil. designatam dotis
quantitatem uxor non intulerit &c.) *h.* Domo quidem ex-
pelli uxorem à marito posse, vult *Gail. 2. obs. 87.* repudiari vero

NON

non posse. *c. per vestr. as X. de Donat. inter V. & U.* non quod Maritus illo casu uxorem alere, & maritali affectione profequi non teneatur, *Român. Consil. 417.* sed ne ob fidem non servatam, rixis & dissidiis, & inde porro repudio causa præberi possit *d. c. & l. fin. C. ad SCtum Vellej.* Verum magis nobis placet sententia *Carpzovii*, qui uxorem ob non illatam dotem, ne quidem domo expelli vult. *Jurisprud. Const. lib. 2. tit. 11. D. 205.* ubi præjudicium. *Hahn. ad Wesenb. tit. de Jur. dot.* Per expulsionem enim facile occasio adulterandi uxori dari possit; deinde maritus quoque per copulam sacerdotalem, (uti dictum) æque ac per copulam carnalem pacto renunciasset censetur: *Id. c. l. Stryk. c. l.*

Quæst. II.

Quid dicendum de pacto, quo marito facultas prædium dotale alienandi conceditur an hoc licitum? *R.* Neg. quoniam hoc pactum Juris Civil. legibus absolute contrariatur, *pr. J. quib. alien. lic. vel non. l. 1. ff. solut. matrim.* quippe dos ut proprium mulieris patrimonium, ad ipsam soluto matrimonio redire necesse est, ne igitur illud à marito alienetur, & ita dotibus suis defraudarentur mulieres, quas salvas habere Reipubl. interest ut habere possint *l. 2. ff. de Jure dot.* leges, & præcipue Lex Julia, prohibuerunt alienationem, modo prædium dotale marito non æstimatò in dotem datum. In quocunque enim actu agitur de dominio transferendo, ibi æstimatio rei adjecta facit venditionem, i. e. dominium transfert, & jus alienandi. *Hopp. Comment. J. pr. quibus alien. lic. vel non.* Jure Can. tum de mum licita est prædii dotalis alienatio, si in eam præstito jramento mulier consenserit, *arg. c. 28. de Jurejur. c. 2. de R. l. in VI.* Sed Moribus hodiernis validam esse rerum immobilium, & prædiorum dotalium alienationem, si uxoris accedat consensus, testatur *Sandeh. 2. dec. tit. 4. d. 2. Carpzov. p. 2. C. 15. def. 20. 21.*

ut tamen Moribus Saxon. Uxor insuper specialem curatorem adhibeat, causæq; cognitio & decretum Magistratus accedat. *Siruv. S. J. C. Exerc. 30. th. 22.*

Quæst. III.

Universa bona in dotem à muliere dari posse, *l. 72. ff. de jur. dot. l. 4. C. eod.* constat. An vero bona feudalia quoque in dotem concedere liceat, dubitandú. Hinc Quæritur: **An mulier feudum quod tenet in dotem dare, pacto se obligare possit?** Neg. videtur, quia dotis constitutio species alienationis est *2. Feud. 9. §. donare.* Sed aff. si feudum fœmininum sit. *VVurmser. obs. pr. tit. de feud. obs. 19.* hoc enim casu nulla vera alienatio, jure fœminæ, præsertim post *l. 30. C. de jur. dot.* & jure domini, manente integro, *Siruv. S. I. F. c. 13. th. 5. Stryk. E. I. F. c. 19. q. 3.* Si vero pacta de lucranda dote interponantur, consensus domini erit necessarius *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 7. th. 2. lit. f.* Sic quoque bona feudalia æstimatò in dotem dari nequeunt, quia sic venditio esset *l. 10. §. 4. ff. de jur. dot.* ratio est *in Lun. §. 15. C. de R. l. A.*

Quæst. IV.

Cum Donationes inter conjuges Jure Civili, illicitæ, sint **Q. Anne conjuges inter se pactum inire possint, ne ob res donatas vel amotas agatur?** Neg. prius enim pactum contrariatur Legibus, quibus cautú, ne constante matrimonio conjuges ob amorem, qui imprimis ab initio consummati matrimonii nimius esse solet, se invicem quid donarent, ut ne mutuo amore se spoliarent, *l. 1. de Donat. inter V. & U. l. 20. C. de don. ant. nupt.* cum honestus amor non lucro, sed solis animis contrahi debeat *Carpzov. p. 1. Const. for. 31. def. 32. n. 8.* Per posterius autem pactum mulier ad delinquendum, furandum scil. in vitaretur. Expedi autem timere furti & similium delictorum pœnas publicas *l. 27. §. 4. de Pact.* Ut hinc concludere optime liceat, ejusmodi pactum esse contra **Constitutiones & bonos mores, sicque in totum invalidum,**



Quæst. V.

Quid autem, si convenerit, ne maritus culpam in dote conservanda præstet, sed tantum dolum, an hoc pactum subsistere possit? ^{Rz.}

Videtur dicendum quod sic, quoniam in aliis contractibus, hoc pactum hæcque conventio licita, ut dolus tantum præstetur. *l. 5. §. 10. ff. commodati.* Sed rectius Neg. cum Legibus constitutum sit: in rebus dotalibus virum præstare debere, non dolum solum, sed & culpam *l. 17. ff. de jur. dot.* idque propter nubentis utilitatem *l. 6. ff. de pact. dotal.* & quia maritus dotem sua causâ accipit, merito quoq; eam diligentia in custodienda & conservanda dote debet præstare, quam in rebus suis adhibet *d. l. 17. & Gl. ad b. l.* Limitari tamen potest h. m. nisi mulier in mora dotis recipiendæ fuerit, hoc enim casu maritus de dolo tantum tenetur. Cum, unicuique mora sua non alii nocere debeat *l. 173. §. 2. ff. de R. l.*

Quæst. VI.

An pacto obtinere possit maritus, ne periculum rerum dotalium in se recipere, vel casum præstare teneatur? ^{Rz. aff. l. 6. ff. de Pact. dot.}

Potest enim maritus pacisci, ut dos, (scilicet æstimata) mulieris sit periculo, quæ alias periculo ipsius mariti esse solet. Vis enim ea est æstimationis aut dotis æstimatæ, ut ejus periculum transeat in maritum, tanquam in Emptorem, uti supra vidimus, *l. 52. §. 3. ff. pro soc. l. i. in fin. de æstim. act. l. 10. §. 4. de Jur. dot.* Hinc si pacto maritus efficere potest, ut ne præstet rei dotalis æstimatæ periculum, quod majus est, maritus quoque poterit conventionem periculû dotis aut nominis dotalis, quod minus est, à se in uxorem rejicere. *d. l. 6.* Deinde pacto effici potest ut dos mulieris, quæ periculo ejus esse solet, (i. e. dos non æsti-

æstimata) sit periculo mariti, *vers. & per contrariū d. l. 6.* qui versiculus de dote inæstimata accipiendus est. Potest itaque & maritus periculum dotis in uxorem rejicere; Contrariorum enim eadem est ratio *Barbos. locupl. l. 3. c. 63. ax. 9.*


Quæst. VII.


Ultimo loco adjicimus pactum de quo quæsitum in *l. 27. ff. de Pact. dot.* v. g. Mulier susceptis jam liberis, per jurgium discessit à marito; maritus uxoris retinendæ Studiosus pepigit, ne dotem ab uxore peteret, post id pactum mulier ad virum suum revertitur, petit maritus ab uxore dotem, illa marito suo superius pactum objicit, quæritur: utrum maritus stare pacto teneatur an non? Resp. quod minime teneatur, hæc enim conventio moribus improbata est ut dicitur in *c. l. 27. & sapit donationem*, quia durante matrimonio, post jurgium se uxoris, hoc pactum inutum est; aliud v. dicendum foret, si post divortium maritus cum uxore ita pepigisset, nam per divortium matrimonium solvitur non autem per jurgium *l. 1. ff. de divort.* ratio differentiæ in eo consistit, quod divortium à diveritate mentium sic dictum, constantem habeat voluntatem se à conjuge separandi; quod debeat fieri causæ cognitione apud competentem judicem; *Schneiderwin. ad tit. 7. de nups. in. spec. de divort.* hoc jurgium autem paucorum saltem fuit dierum. *vid. l. 48. ff. de R. l.* Inde fit ut quod maritus donaverit uxori, jurgii vel frigusculi tempore, non magis subsistat, quam quod ei donatum est, ipso matrimonio constante. *l. 32. §. 12. ff. de Donat. inter V. & U.*


Hiscæ colophonem disputationi nostræ imponimus. Potuissent quidem adhuc quædam de pactis conjugum circa successionem, circa unionem prolium, aliaque quamplurima addi; verum, cum *Joh. Pet. Fontanella, Andr. Kohl, Neostadi, Peck,* alique, satis operæ his materiis tractandis impenderint, nobis delibasse saltem quædam sat erit. Interim

DEO triumphi sit Laus & Gloria.









S. A.
Disputatio Inauguralis

DE

**PACTIS CONJUGUM
SPECIALIBUS, JURE
PROBATIS ET REPROBATIS,**

QVAM,

Annuente Summo Numine,
EX AUCTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
PRÆSIDE,

**DN. EDUARDO FRANCISCO
GOCLENIO,**

J. U. D. Pandectarum Professore, ac h. t. Facultatis
Juridicæ DECANO,

PRO

SUMMIS in utroque JURE HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS

ritè obtinendis,

Publica Excell. Dn. Dn. PROFESSORUM ventilationi

submittit,

JOH. CASPAR MEIER,

Colbergâ-Pom.

IN AUDITORIO JCTORUM die Jun. An. 1711.

RINTE LII, Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad, Typogr.